# *Ad Anginam Membranaceam epidemice in Scania grassantem Observationes,*

quas

**Consensu Facult. Med. Lundensis**

Præside

**JAC. SÖNNERBERG,**

Med. Pract. Prof. Reg. & Ord.

pro

*Gradu Doctoris Medicinæ*

p. p.



Auctor

**ADOLPHUS LEONH. HWASSER,**

Phil. Mag. Med. Licent.

In Academia Lundensi die XVI Martii MDCCCXXXIII.

h. a. & p. m. s.

---

LUNDÆ,

TYPIS EXCUDIT C. F. BERLING,

UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXXIII.

*Viro Celeberrimo*

*Anatomiæ et Physiologiæ Professori, Reg. Academiæ Scient. Membro, Medicinæ Doctori, Chirurgiæ Magistro etc.*

*ANDREAE AD. RETZIO*

Præceptori in Anatomia Optimo

Sacrum

v. d.

**Auctor.**

## *Ad Anginam Membranaceam epidemice in Scania grassantem Observationes.*

Auctumno anni proxime præterlapsi, ut plerumque ventoso nubiloque, in his regionibus duæ fuerunt epidemiæ, quarum Scarlatina insidiosæ indolis jam a prima vere rura peragravit, unde urbes etiam invasit, sub finem anni magis magisque accrevit, nec dum plane cessavit. Altera vero, seu Angina Membranacea, quam vulgo Croup dixerunt, brevius duravit, medio Septembri exstitit una cum aliis anginis et catarrhis, primum in urbibus grassata rus evagata est, ubi vero etiam post annum novum sensim decrevit. Præter hasce Pertussis decrescentis epidemiæ residua adhuc pullulavit; quo fiebat, ut tenella ætas a tribus uno eodemque tempore malis peteretur. Febres Intermittentes per triennium jam vulgatiores et eodem præsertim anno solito graviores a vere ad extremum auctumnum perseverarunt typi tertiani, duplicis tertiani et quotidiani. Quartanæ vero heic rarissimæ exsistunt. — Endemica constitutio ad simplices inflammationes minus prona eo magis in varios chronicos morbos et degenerantes propendet, qui apud nos

Scrophularum præsertim et Atrophiæ formam induerunt, non solum ab aëris et soli qualitate profecti, verum etiam a ratione in minimis quoque rebus vivendi. Vulgatissimis eodem tempore morbis ita expositis ad omnium periculosissimum, quamvis non maxime pervagatum, considerandum transgrediar.

Incepit morbus a coryza et tussi brevi clangosa, comitantibus etiam horroribus, capitis gravedine ceterisque invadentis febris symptomatibus. Vox aut rauca aut sæpius simul magis arguta. Postero jam die, interdum mox etiam, veram morbus speciem præbuit specifico quodam respirandi sono manifestam. Respiratio enim frequens est rauca et aspera, sonum edens serræ e longinquo crepitanti haud absimilem, cui immiscetur interdum stridor quasi sibilus. Accedebant haud raro pleuritici dolores; sed de nullo umquam, cum loqueretur clamitaretve, laryngis dolore querebatur ægrotus, nec ullam compressionis licet aliquanto fortioris impatientiam indicabat. Neque ullus extrinsecus rubor ardor aut tumor apparuit. Tonsillæ integræ erant, et commode fiebat deglutitio. Quum morbus remissior esset, multum spumosi spissioris et perspicui muci, albumini similis, concretis laciniis frustulisque quasi caseosis immisti, extussiebatur vel vomebatur, quo spriritus ad exiguum tempus liberior factus est. Pulsus initio plenus tensusque per omne tempus frequens fuit, sub finem vero exiguus et inæqualis. Cutis jam sudans jam arida. Urinam, quæ sicut et sitis vehementiæ febris respondit, bis tantum inspicere mihi contigit. Alvus plerumque durior; languor haud ita magnus. Facies jam erubescens sudansque, jam pallida et frigida cum labris lividis et

dolorem significans. Ægrotulus nunc quietus et dormitans nunc inquietus caput huc illuc jactans extenso collo, reflexo capite mentoque porrecto spiritum celeriter duxit. Nonnumquam symptomata tam violentum fecerunt impetum, ut parum abesset, quin æger suffocaretur. Vehementes interdum fibrarum muscularium contractiones, crampi et subsultus miserum vexabant. Ut increvit impetus morbi, ita et tussis, deficientibus forsan viribus, minuta est aut plane desiit; reliqua etiam symptomata interdum obscuriora facta sunt, cum dyspnoea, vel potius asthma, interjectis intervallis præsertim noctu acrius insisteret. Neque tamen in ipsa febri certus exacerbationum remissionumque typus apparuit. Perfecta numquam crisis evenit; aut enim æger critico diei non superstes erat, aut etiam febris et pleuritici dolores resolvebantur, sed malum, quo insederat laryngis loco, perseverabat. Fuit quoque, cum nulla febris adesse videretur. Pulsus quidem tum etiam in inquieto ægri statu frequentior fuit, neque tamen perpetuo, nec inde ab ipso morbi initio; ejusque frequentiam neque alia febris signa nec dolores pleuritici comitabantur. Mors sæpius tranquilla obvenit. — Facta obductione, quam mihi semel tantum suscipere contigit, larynx et trachea nulla pseudomembrana intercludi sed minorem ejusdem plastici muci, qui ab ægroto evomi solebat, quantitatem continere reperiebantur. Membrana mucosa in et subter larynge justo crassior densiorque erat et partim muco purulento partim lympha, quæ in pseudomembranam parum solidam jam coierat, obducta. Singula quidem vasa sanguine impleta erant, sed rubor, qualis in locis inflammatis æquabilis observari solet, nullus apparuit. Bronchia spumas continebant.

Perspicuum est, morbum supra descriptum non veram fuisse inflammationem sed potius quandam Catarrhi speciem sitam in viis respirationis, ultra quas non erat propagata. Primum scilicet narium choanas petiit, unde in tracheam et bronchia extendebatur. Vera inflammationis symptomata nusquam quidem graviora fuerunt, minime autem in ipsa larynge, ubi jam ab initio copiosa illa secretione temperari tollique videbantur. Sunt, qui secreti plasticitatem non nisi simplici et genuinæ inflammationi propriam esse credant, facta cum pneumonia comparatione decepti. Quod ita non esse, plasticamque exsudationem non magis veram inflammationem, quam plasticam in sanguine crustam semper febrim inflammatoriam significare, præter multa alia exempla morbus, quem quærimus, testatur. Ardor, rubor atque dolor, quæ symptomata inflammationis proprio sensu pathologico sumtæ, seu coctionis *), præcipua esse crediderim, heic non apparuerunt. Indefinitus topici morbi et a diebus criticis prorsus sejunctus exitus, ad quem efficiendum nec universales crises quidquam valebant,

---

*) Ad hæc, et quæ sequuntur, accuratius explicanda observatio alias forsitan supervacanea adferatur. Notum est, veteres tres diversos status morbosos, qui omnes unum acutum morbi processum constituunt, cruditatem, coctionem et crisin distinxisse; quarum prima non solum materiam morbosam significat sed etiam ipsam reproductionem qualitate abnormem, illam quæ procreat. Altera vero, seu coctio, priori repugnat et conamen naturæ materiam, ut ajebant, peccantem deperdendi, calore quasi digerendi atque idoneam, quæ exoneretur, reddendi constituit. Tertia, sive Crisis, est, ut ipsa innuit denominatio (a verbo κρίνειν, secernere, judicare), et materiæ morbosæ ab organismo separatio, per eamque judicatio morbi in sanitatem, quippe cum eadem excretione co-

prævalens quoddam et degenerans, quod crisin abnormem idemtidem provocabat prorogabatque, indicavit. Quod insuper in ipsam morbi ætiologiam quadrare atque insolita, quæ facta obductione observabatur, membranæ mucosæ crassitudine affirmari videtur.

Quod si pseudomembranam respexeris, non est organice instructa plerumque, sed quæ fortuito coaluit lympha, quæ crisi locali et abnormi secreta est. In qua nonnulli, ut constat, vasa se detexisse putarunt, observaruntque fuisse, cum finito morbo residua cum parietibus laryngis et tracheae concrevisset. Fieri potest, ut intensa arteriosi systematis sub inflammatione activitate et orgasmo copiosius irruens sanguis extra solitos canales in lympham membranæ mucosæ adhærentem novas vias munierit *).

---

ctio etiam tollatur. Sunt itaque diversi hi morbosi status sibi invicem oppositi, quos inflammatio latiori sensu sumta omnes complectitur. Si coctio ad cruditatem superandam valet, hoc intra septem plerumque dierum spatium sui proprium efficit; alioquin decursus morbi diutius producitur. At non modo acutus inflammationis decursus, sed propria illius symptomata a coctione oriuntur, quæ, ut ita dicam, idipsum, quod in morbo inflammatorium est, constituit. Recentiores vero pathologicam inflammationis naturam tam præpostere intellexerunt, ut illam nisum plasticum sive formativum vel, quod idem est, vitæ ad summum intensæ processum appellarint ejusque vim præcipuam in ipsa hujus materiæ abnormis, ad quam reactio inflammatoria perdendam enititur, procreatione constare crediderint.

*) Etiamsi tali modo inflammatio originem novorum vasorum parat, hoc tamen aliquid prorsus fortuitum est nec idcirco naturam inflammationis constituere existimandum.

In unaquaque inflammatione et febri status plus minusve spasticus adest, ut vice versa morbis spasticis clonicæ formæ irritatio febrilis haud raro immiscetur. Prout in casu dissimili graduque multifariam diverso symptomata alterius status intenduntur, cum alterius remittantur, formam spastici vel inflammatorii morbus nanciscitur. Quamobrem in inflammatione, qualis hic quæritur, ubi præterea coctio, ut vidimus, remissior erat, admirationem nobis movere non debet, si spastica symptomata tantopere prævalerent, ut morbus aliquando, cum tamen ipse non adessem, speciem Asthmatis Millari sibi indueret aut in illud abire posset. In qua re nihil est, cur sententiæ eorum, qui utrumque morbum eundem existimarunt, accedamus.

Aetas puerilis, ut constat, huic morbo inprimis obnoxia est. Sed ex evolutione organorum vocis ac respirationis dispositionem pendere, vix est credibile; hæc enim, ut quisque novit, evolutio præcipue in pubertatis ætatem incidit, cum Croup pueros annum XII transgressos rarius invadat. In nimia vero sensilitate et humorum, præcipue albuminis, copia, quæ huic ætati propria est, disponens caussa potissimum quærenda esse videtur. Excitatum sæpius observemus a refrigerio morbum in frigido eodemque humido aëre, cujus incolæ hujus regionis eo sunt impatientiores, quod gravibus calidisque pulvinaribus tecti noctu dormiunt. Quibus ab ejusmodi aëris influxu sollicite cautum fuit, ii morbum effugerunt, etsiamsi illo vel antea laborarint et peculiari quadam familiæ dispositione in illum aliis proniores visi sint; cum contra spectatis pueris, quos invasit, aliqua ejusmodi culpa semper fere invenire-

tur. Neque tamen ipsum frigus, aut illud, quod per se inflammationes efficiat, refrigerium hujus morbi caussam esse, quæ contra in ipsa aëris natura vel in illa epidemica constitutione, quæ ad affectiones catarrhales pariendas omnino confert, quærenda est, exinde apparet, quod morbus Croup tempestate auctumni pluviosa nubilaque inprimis grassabatur, paulo post novum annum cessans, cum frigore puriore humus congelasset, atque aër humoribus liberatus coelumque factum esset serenius.

Prognosis secundum tempus, per quod jam duravit morbus, instituenda. Huic cum statim ab initio resisteretur, facile se tolli passus est; cum vero tres dies perseverasset, frustra fuit omnis cura adhibita. Namque non prius cessit morbus, quam in colliquationem usu mercurialium diutius repetito æger incidisset. Sin vero omitterentur hæc, aut ad alia medicamenta confugeretur, subito malum emersit.

In cura Venæsectiones nec a meipso nec ab aliis, quantum sciam, sunt adhibitæ, quamvis nonnumquam, fateor, indicatæ viderentur. Hirudines dolorem quidem capitis, febrim, doloresque pleuriticos, ubi ejusmodi symptomata aderant, minuerunt, ad malum in larynge insidens tollendum nihil valentes. Hoc vero optime fregit talis medela, qualem breviter exponam: Tempore nulla alia medicatione producto, statim Calomelas magnis audacter dosibus porrigendus erat, quæ vero postea minuerentur; ut ex. gr. puero tres annos nato Muriatis Hydrargyrosi granum altera quavis horæ parte impertiretur. Hoc ter sumto screans plerumque spiritus sonus jam solutum esse mucum indicabat; tum leni Tarta-

ri Antim. emetico*) hujus movebatur rejectio. — Alias vero ex screante spiritus vel rauco sono prorsus pendet, utrum medicamentum eligi, quotiesque dari oporteat. Potest ex. gr. altera quavis hora Calomelas, altera vero emeticum impertiri. Præterea Unguenti Hydrargyri debita quantitate locum inungere juvabat. Hisce remediis tempestive satis adhibitis morbus uno die vulgo cessabat. At si sero advocaremur, vel nisi jam ab initio satis Mur. Hydrargyrosi daretur, multo majorem hujus quantitatem continue usurpare cogebamur. Magnis his dosibus alvus tamen non facile solvebatur. In statu irritato aut spastico Digitalis, Hyoscyamus, Moschus, Camphora (præsertim si jam multum Hydrargyri erat consumtum) prout variæ occurrebant indicationes, Muriati utiliter adjuncta sunt. Quæ ad curandum sola non sufficiebant, sed tamen plurimum adjuvabant, quæque idcirco numquam sunt negligenda, erant Vesicatorium in anteriorem colli partem aut ad latera laryngis et tracheae aut supra sternum et claviculas adplicitum, tepida lavacra et calidus potus leniter diaphoreticus. Puellam admodum sex tantum menses natam morbo sternutamentum, mixtura emetica infra descripta tepidaque lavacra jam initio liberarunt.

---

*) Ex. gr. R. Tartr. kalico Stibosi grj solve in Aquæ destill ℥j adde Oxymellis Scillæ ʒij M. cujus d:r quarta quavis horæ parte duo minora cochlearia, donec vomitus sequatur.